Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31300
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

Carmen de operosa virtute.

QUm Deus magnum fabricaret orbem
Et polos alto sinuaret arcu
Jussit eterna rutilare pulchrum
Lampade solem.
Jussit ⁊ lunam dubia micantem
Luce sublimes agitare currus
Et per obscuras aliena ferre
Lumina noctes.
Aureis celum variauit astris.
Que per ingentes reuoluta gyros.
Fata dispensant. humilisq; terre.
Regna gubernant.
Aeris tractus auium canoris
Cantibus. terras nemorum virenti.
Fronde. diuersis decorauit altum.
Piscibus equor.
Tunc ad argutos philomena cantus
Guttur aptauit. didicitq; voces
Psithacus nostras. nituit superbo.
Tergore pauo.
Barbaram citrum preciosus Atlas
Ida funebrem peperit cypressum
Pelion quercus Solyme tulerunt.
Balsama sylue
Et tagus fuluo nociturus auro
Fluxit. et Croesi viridem per oram
Lydius cursu properauit Hermus.
Inuidioso
Tunc per humentes pelagi meatus
Squammea cinctus populi caterua
Post suum fluctus equitauit altos
Prothea delphin.
Sic Deus celi maris atq; terre
Fecit ornatum. tamen ad decorem
Mentis humane magis applicauit
Artis acumen.
Mens enim summo nimium parenti.
Chara. pro vite sapienter acte
Premio. mundi fuit in beatum
Limen itura.